AUGUSTINUS
12. Jh. Seite 60v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26074
Copyright: Admont, Benediktinerstift



licet. Cunctis igitur officiis sacris litteris prescribitur norma uiuendi.
omnis ad bene uiuendum prouocatur. sexus etas et dignitas. Igitur
nemo se excusat publicis actibus nemo de occupatione milicie con
quiratur. apud omnem xpianum prima honestatis debet esse militia.
Nam ut id quod dicimus auctoritate euglica conprobemus. uideamus
lectionem que paulo ante decursa est. Ait enim euglium. Venerunt
autem et publicani ad iohannem ut baptizarentur a beo et dixerunt
ad eum. Magister quid faciemus. At ille dixit. Nichil amplius ex
igatis quam quod constitutum est uobis. Honesta plane publicanorum
interrogatio. ac sancti prophete. ista responsio. Illi enim sollicite interrogant.
ne aut ignorantes. plus exigendo peccatum incidant aut cessantes
publicam decipiant functionem. Hic autem moderate precipit ut et ini
quitas locum non habeat et constitutum uectigal habeat effectum.
Non enim dixit nichil exigatis sed nichil amplius exigatis. Unde
intelligimus quod apud dominum. non tam exactio quam exactio iniqua
dampnetur. Dicit enim ipse dominus. Reddite que dei sunt deo. et que ce
saris cesari. Igitur quod cesar precipit ferendum est quod imperator in
dicit tolerandum est sed fit intolerabile dum illud preda exactionis
accumulat. Hoc autem quale est quod idem ipsi qui huiusmodi necessitates
procurant peccatis suis peccata congeminant. hoc est quod fraudes
suas ac rapinas commodum uocant cum ipsa preda inferatur in como
dum. Illud autem addunt sceleribus suis ut quos indefensos uiderint
ipsos potius persequantur. et putent se necessitates decepisse publicas
nisi domos deceperint orphanorum. ita quorum pater ante biduum for
sitan fuerit amicus collega. uel frater interueniente morte eiusdem liberi ha
beantur tamquam ignoti uiles et miseri. Vidua autem si qua fuerit aut
sic iniuriis exigitur ut nubat. aut si uoluerit incastitatis permanere
proposito dando munera in facultate uix permanet. Cum his
fraudibus igitur repleuerint sacculos suos. uideas letos illos et accura